

Franckesche Stiftungen zu Halle

Ioachimi Langii Institvtiones Stili Latini, quibus non solum de Natvra, Adivmentis, Diversitate, Variisqve Stili Generibvs Ac Regvlis, presse agitur ...

Lange, Joachim

Berolini, 1711

VD18 10471499

Cap. I. De Stili Natura Et Necessariis Eiusdem Adiumentis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-189842



I. N. I.

INSTITVTIONVM STILI

CAP. I.

De

STILI NATVRA
ET NECESSARIIS
EIVSDEM ADIVMENTIS.

§. I.



Stilus est vox Latina, saltem Latinitate donata, & proprie accepta, idem significat, quod Græcorum *ὑεσφίς*, *ὑεσφίον*, sive instrumentum scriptorium, veteribus usitatum: cuius pars seu extremitas inferior, qua formabantur litteræ, erat acuminata; superior vero obtusa ac plana, qua in ceratis tabulis stili acumine exarata rursus debebant, ceramque complanabant. Hinc *stilum vertere*, erat scriptum mutare, aut emendare, inducta priore scriptura, secundum illud Horatii, L. i. Sermon. Sat. X, v. 72.

*Sape stilum vertas, iterum qua digna legi sunt
Scripuras.*

A 5

Huc

Huc refer illud Plauti: *Effer cito stilum, ceram, tabellas.* Bacch. act. 4. sc. 4.

§. II. Deinde *stilus* ponitur pro exercitio & usu *scribendi*: quo sensu Ciceroni L. I. de Orat. c. 33. *stilus* dicitur *optimus* & *præstantissimus dicendi effector ac magister*. Idem c. 50. *libertas*, inquit, *orationis stilo depascenda est*. Et, quia frequens scribendi usus certum orationis genus ac characterem, seu certam ejus formam, parit, *stilus* apud Latinos præcipue accipitur pro ipsa hac sermonis structura atque forma. v. g. *Comædie dissimili oratione factæ ac stilo*. Ter. Prol. Andr. *Onerabit hoc modestiam nostram, etiamsi stilus ipse fuerit pressus demissusque* (eingezogen / niedrig / schlecht) *propterea, quod cogimur, cum de munificentia parentum nostrorum, tum de nostra, disputare*: & paulo post: *Quid utilius fuit, quam munificentierationem etiam stilo prosequi*. Plin. epist. L. I. 8.

§. III. *Stilus* vestem repræsentat. Unde, quæ ejus debeat esse ratio, facile liquet. Etenim ut sanum mundumque corpus munda, beneque conveniens, nec minus a sordibus, quam a luxu, aliena vestis ornat; sic res seu materias bonas solidasque pura ac selecta decet oratio. Quis enim corporis staturam, formamque bonam, sordido, aut incomposito, vestitu deformabit? Quis vir puterili aut muliebri amictu prodibit in publicum? Quis non fiet ridiculus, si cultum affecta-

fectaverit, aut nimis obsoletum desuetumque, aut temere novatum, ab ordinario habitus genere abhorrentem? Eadem est ratio orationis Latinæ, in qua servanda est Romanæ consuetudinis proprietas, mundities ac decencia, seu venustas.

§. IV. Quatuor vero sunt adiumenta, quæ stilum mirifice expoliunt ac perficiunt, seu expeditam Latine, i. e. pure ac eleganter, scribendi facultatem parant: *Lectio, iudicium, imitatio, exercitatio*. Quibus fundamenti loco supponitur rudior, seu grammatica, lingvæ Latinæ, institutio ac cognitio: de qua ut hic agam, non est instituti mei. De singulis adiumentorum generibus seorsum, & quidem habito solutæ orationis respectu.

Membrum I.

De

LECTIONE.

§. I.

Lectio adit ipsos Romani sermonis fontes, seu auctores antiquos, incorruptæ Latinitatis laude florentes, eorundem notitiam pariens certam, aut ab aliis datam confirmans.

§. II. Lectio alia est *publica*, alia *privata*. *Publica* in scholis a certo lingvæ Latinæ magistro

stro, qui etiam sæpe privatim publicæ defectum supplet, dirigitur. *Privata*, proprio cuiusque studio suscepta, publicæ intersit, eamque acuit ac promovet: sicut hæc illam; utpote quam necessario requirit, ad stilum formandum sola non sufficiens.

§. III. *Lectio privata*, quæ hujus loci est, *constantiam* postulat ac *diligentiam*. Constantia uni eidemque auctori non legendo tantum, sed etiam relegendo, cognoscendoque, cum iusta mora inhæret: atque ita medetur communi iuventutis vitio, quo, per sanguinis calorem incitata, a scriptoris alicuius lectione, vix per aliquot dies aut hebdomadas continuata, ad alium transit. Quæ varietas delectat quidem, sed parum prodest.

§. IV. *Lectiois diligentia*, præter peculiarem dictionis in auctore aliquo indolem ac genium, etiam verborum proprietatem, concinnitatem ac cum rebus convenientiam, phrasios Latinæ consuetudinem, ac naturalem seu simplicem ac genuinum, connectendi modum, observat. Quæ lectio quo minus fructu careat, optima ac elegantissima quæque certis quibusdam asteriscis, sive notis, sunt passim insignienda, ut, citra universa relegendi tædium, præcipuorum facilis sit repetitio, & tempus, quod excerpendis phrasibus alias dari solet, hac ratione redemptum, melius possit collocari.

§. V.

§. V. Lectionis diligentiam alunt atque augent tria adminicula: *Observationes Philologorum*, creber probati *Lexici usus*, nec non assidue emandati *phraseographi tractatio*, *παρэгγως* quidem horis subssecivis, non tamen obiter, adhibenda.

§ VI. Subsidiaria *Philologorum opera* lectionem ita dirigit, ut simul legentis iudicium formet atque expoliat, meditandoque negotium non facile minus reddat, quam lucundum. Præ reliquis hic commendationem merentur scripta VALLÆ, GOCLENII, SCHORI, VOSSII, SANCTII, SCIOPPII, VORSTII, PRASCHII, BORRICHII utriusque, CELLARII, GYNTHRI, hunc in finem edita & passim obvia. Tironi horum unum atque alterum sufficit.

§. VII. *Lexici Latini* lectio non solum, quoties nodus aliquis incidit, in consilium est vocanda, sed etiam continuo ordine persequenda, quando discenti tantum vacui temporis spatium relinquitur. Primas vero hic tenere *Thesaurum Fabri*, qualis e doctissima Cel. CELLARII recensione prodiit, in confesso est. Afferenda autem est ad hanc lectionem quædam auctorum Latinerum notitia, ut auctoritate, quæ singulis vocibus ac locutionibus adjicitur, conspecta, statim nobis constet, ad quam Latinitatis ætatem illa pertineat, atq; an imitatione digna sit.

§. VIII.

§. VIII. Latinarum *phrasum* proprietatem ac copiam suppeditant SCHORUS, MANUTIUS, PAREUS, IOSÆUS, SCHOENSLERUS, SEYBOLDUS. Ea autem phraseologia mihi visa est optima, quæ secundum seriem verborum, insigni locutionum ubertate præ aliis gaudentium, ex probatis Romani sermonis auctoribus est collecta. Qui mea non averfatur, in usum suum adhibere poterit *Latinitatis Anthologiam*, quæ, singulari cum compendio, septem plagulis totidem phrasum Latinarum millia complectitur. Cui libello non sine fructu, quod confido, iungi poterit alter, inscriptus: *Sententiarum ac phrasum emphaticarum flosculi*, e Latinorum poetarum principibus, VIRGILIO, HORATIO & OVIDIO, collecti. Errant enim non parum, qui, poetas nihil ad solutæ orationis facultatem conferre, arbitrantur. Utriusque libri usum præfationes tradunt, quarum altera præcipue agit de cautionibus, christiano in scriptorum, a christianæ religionis professione alienorum, lectione observandis.

§. IX. Ceterum, præter lectionem accuratam & tardiolem, requiritur etiam quædam quasi volitans lectio, quæ cursim, non quidem per omnes, per omnis tamen generis, auctores fertur, cognitaque singulorum indole, ex iis optima quæque delibat. Hæc incitatio lectio

Etio loca quædam difficiliora non moratur, sed iis vel ad lectionem accuratorem, vel ad Criticos, remisiss, citra nimiam sollicitudinem in reliquis pergit. Plura de lectione occurrent membris hujus capitis sequentibus.

Membrum II.

De

IUDICIO.

§. I.

Iudicium, sive accuratum eorum, quæ legimus, aut scribimus, examen, cum habilitate ingenii, in stilo formando tam est necessarium, ut sine illo lectio fructu careat, & imitatio cum exercitatione, quam dirigit, ieiuna maneat atque exsanguis. Nemo enim, nisi qui potest bene cogitare, potest bene loqui, bene apteque scribere. Quare, crescente iudicio, ac solida rerum cognitione, stili crescit elegantia ac facultas.

§. II. *Iudicium* autem in stilo aliud vocare possumus *mentis*, aliud *aurium*. IUDICIUM MENTIS versatur circa orationis nostræ ac alienæ *decorum*, seu decentiam, *ordinem*, *perspicuitatem*, *dignitatem* ac *connexionem*.

§. III. DECENTIAM observaturo iudicandum est

[1] de orationis totius caractere, qui, si dignus

dignus, rebusq; conveniens est, grandia grandi, vulgaria vulgari, mediocria mediocri, sermonis habitu induit, atque adeo corpori vestem, non corpus vesti, aptat :

[1] de verborum membrorumque necessitate, vel utilitate, num quid in sermone desit, vel cum futilitate supersit:

[3] de singulorum convenientia, utrum verba satis sint significantia, & res æquent, an eas excedant, vel infra dignitatem earum subsistant? num sint personis, tempori, loco, ac similibus, apta? Quod si iudicium versatur non nostro, sed alieno in scripto, præcipue peculiaris ejus forma consideranda est, distincta ab aliis, & cuilibet scriptori propria.

§. IV. ORDINIS observatio inter alia postulat,

[1] ut vitetur inconcinna verborum tractatio;

[2] ut oratio crescat, h. e. ut graviora de leviora, & minus digna dignioribus, ponantur:

[3] ut consequentia iis, quæ naturali ordine præcedunt, postponantur. Quæ, aliæque, boni ordinis momenta, quomodo ab auctoribus observata sint, probe dispiciendum est.

§. V. PERSPICUITAS, præter aptam argu-

argumentorum & partium dispositionem, potissimum ab elocutione pender, amatque

[1] *Dictionem moderatam*, quæ nec nimis concisa est, nec nimis producta, vel *ἀναστροφὴς*, sensum ex parte in suspensio relinquens.

[2] *Dictionem propriam*, quæ a tropis quidem decentibus non abstinere; sed sedulo tamen fugit vocabula audacter translata, immodice allegorica, mere poetica ac ænigmatica, quoad significationem vel constructionem ambigua ac amphibolica.

[3] *Dictionem usitatam*, quæ a vocibus remere novatis, aut antiquatis & peregrinis, præter necessitatem usurpatis, aliena est.

[4] *Dictionem apte collocatam*, quæ vocabulis contra genuinam syntaxin perturbatis, aut vitiose traiectis, non est horrida & obscura.

Stili *Dictionem interpunctionibus*, de quibus vide infra, luculenter *distinctam*. Has quinque perspicui sermonis proprietates in auctoribus investigat iudicium, & quid imitandum, quid fugiendum sit, prudenter decernit.

§. VI. Elocutionis DIGNITAS dictione figurata, ut Rhetoribus placet, & sententiosa obtinetur.

§. VII.

§. VII. Sententia est dictum generale, quod verbis paucioribus gravem ac profundum continet sensum. Non autem sententiæ ex antiquis tantum auctoribus iudicii beneficio peti, sed per illud etiam de novo formari, possunt.

§. VIII. In dictione sententiosa notentur *res & verba*. *Rerum* campus fere infinitus est, & sententias admittit vel in nudis effatis, vel in eorum probationibus & amplificationibus: quippe quæ, concinne ac breviter conceptæ, sententiarum vim habent.

§. IX. Duo autem sententiarum fontes constitui possunt: *doctrina & experientia*. Illa docet, quid legitime fieri debeat; hæc quo quid modo, fine & eventu, plerumque fieri soleat. Quo quid autem dicitur verius ac significantius, eo dignior est sententia.

§. X. Elocutio sententiarum alia *simplex* est, alia *venustior*. Simplex constat dictione simplici; non minus a verborum pondere ac sublimitate, quam a troporum luminibus alieno. v. g.

Parvum parva decent.

Deus nobis hæc omnia fecit.

Trahit sua quemque voluptas.

Amor omnia vincit.

Non omnia possumus omnes. Virg.

Cum vero, teste Cicerone de Orat. *sententiose dicere sine verborum ordine & modo, sit infan-*
tia,

ria, etiam simplex sententiosi sermonis elocutio ornatum suum requirit atque admittit, ut ex allatis exemplis videmus.

§. XI. *Venustior* sententiarum elocutio requirit vel verborum emphasin ac sublimitatem, de qua Cap. III. Membr. 1. in stylo arguto; vel *locutiones allegoricas*, cum, quod de alia dicitur re, de alia intelligitur, v. g.

Sape tulit lasfis succus amarus opem.

Calceatus inter spinas ambula.

Sus lota redit ad volutabrum cœni.

Canis timidus vehementius latrat, quam mor-
det.

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, a-
cescet. Hor.

Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet angvis in
herba. Virg.

§. XII. Est autem *sententia* vel *distincta*, peculiarem faciens periodum; vel cum reliqua constructione *connexa*. Et utraque est vel *manifesta*, ut in Seneca potissimum; vel *occulta*, quæ per abstractionem, quam vocant, demum sententiæ formam induit; ut in auctoribus plurimis.

§. XIII. Sententiosum orationis genus præcipue ornat *brevitas*. Nullus autem alius artifex (teste Erasmo de Copia L. I. c. V.) melius ad brevitatem arctabit orationem, quam qui calleat eandem quam maxime varia suppellectile locupletare. Nam quantum

ad verborum attinet breviter, quis constrictius dixerit, quam is, cui promptum est ex immenso verborum agmine, ex omni figurarum genere, statim deligere, quod sit ad breviter accommodatissimum? Rursus, quantum ad sententiæ breviter; cui magis in manu fuerit rem quam paucissimis expedire verbis, quam qui cognitum ac meditatam habeat, quæ sint in causa præcipua, quasque columnæ, quæ proxima, quæ locupletandi negotii gratia sint adsuta? Nemo certe citius certiusque videbit, quid citra incommodum possit omitti, quam is, qui, quid quibus modis addi possit, viderit.

§. XIV. CONNEXIO, præter distinctionem rerum cognitionem, elegantem particularum usum requirit. Quo autem est naturalior, eo est melior, seu simplicior magisque genuina.

§. XV. Quas virtutes enumeratas cum stilus a mentis iudicio arcessat, quæ ipsa mentis debeat esse ratio, facile potest colligi. Sapientiæ præceptis ac virtutis amore imbuedus est animus, recteque componendus: sin minus, sermo, animi interpres, quid in eo lateat, cum dedecore recludit, h. e. tumorem, vanitatem, nugandique libidinem. Quæ stili vitia in multorum, qui hodie scribunt, libris deprehendas. Egregie ea detexit C. L. VOCKEROD in dissertatione, *Latinitatis stiliura*

fitura GYNTHERI præfixa, lectu dignissima. Hæc hætenus de *iudicio mentis*.

§. XVI. AURIUM IUDICIUM, quod, teste Cicerone, delicatissimum est, a iudicio mentis dependet, nos instruens, ut, auribus per lectionem, probati auctoris numeris ac dictione imbutis, de verborum structura, ac totius sermonis euphonia & cacophonia, ita iudicemus, quemadmodum musicus de apto tonorum concentu ac vocum harmonia. Ne quam vero vocem inauditam damnet, aut absolvat, acer iste ac delicatus aurium iudex, vox clara in auctorum lectione, vel a nobis scriptorum recognitione, tironibus adhibenda est.

§. XVII. Quare iudicium, quod in auribus est, ac *sermonis numerum*, seu soni suavitatem ac convenientiam, dirigit, verborum iuncturam ita ordinat, ut vitetur

- [1] crebra vocalium, inprimis earundem, concursio, v. g.

Omnia ea vitia avaritia habet.

Illius initii seu principii iniquissimi.

- [2] eiusdem litteræ, syllabæ ac soni ab initio, vel in fine, frequentatio, e. g.

Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,

Virg.

Communem sortem & mortem omnium hominum.

[3] Plurium syllabarum, brevium vel longarum, continuatio, v. g.

*Omnes nostros sensus conturbarunt.
Gallica legere didicit.*

[4] Creber monosyllaborum, dactylorum, vel litterarum duriuscularum, concursus, v. g.

Quæ cum sic se habeant.

§. XVIII. Suavis autem soni diversitas, sive numerus vocum harmonicus, obtinetur

[1] Varietate casuum, quæ vocalium, consonantium ac soni diversitatem, & cum diversitate suavitatem, parit, v. g.

Nimia est fragilitatis nostre in rebus prosperis oblivio. Curt.

Inconsulta liberalitatis impetus.

Casuum varietatem suppeditat periphrasis, aut adiectivi in substantivum mutatio v. g.

Paupertatis onus : pro *paupertas*,

Veris amœnitas : vernantis cœli terræque facies : pro *ver amœnum*.

Ruinarum subito lapsu procidentium pondera : pro *ruina graves*.

[2] Vocabulis gratius sonantibus, quæ aut omnes, aut plerasque, vocales, in primis a & o, reliquis suaviores, continent, v. g.

*Amorem, superiora, compellatio, rotunditatem.
Invocatur, sapiendo, amavero.*

[3] Vocabulis in fine periodorum, multo magis totius orationis, longioribus ac sonan-

sonantioribus, quæ voci, ante respirationem cadenti, quasi fulcrum aliquod supponant, eiusque descensum notabiliorem reddant; quemadmodum musici pleniori desinunt fidium concentu.

- [4] Divulsis commatibus in sermone, variis adiectionibus distincto, v. g.

Beneficiorum, quæ in me contulisti, & quæ plurima sunt, non sum immemor.

Pro:

Multorum in me collatorum beneficiorum non sum immemor.

- [5] Isocolia, quæ, quoad eius fieri potest, æqualem incisorum, membrorum ac periodorum, mensuram observat.

- [6] Crebriori elegantium epithetorum usu, v. g. *Quid stultius, quam inutilem potentiam, inordinatas opes, cupiditatem dominandi præcipitem & lubricam anteferre vere, gravi, solidaque gloria. Cic.*

Nota [1] In his omnibus longe abesse debet affectatio cum anxia cura. Et sicut ubique ab omni vanitate, sic hoc loco etiam ab epithetis mere poeticis, quæ a nominibus propriis derivantur, aut inflexione sunt audaciora, abstinendum est.

- [2] Soni suavitas & convenientia non paucas Latinitatis elegantias, & elegantiarum regulas, suppeditavit: Sic v. g. Ad-

iectivum a Substantivo, una atque altera voce interiecta, ad evitandam monotoniam eleganter sciungimus; quippe quæ plerumque homœoteleuton constituere, seu simili sono desinere, solent. De his elegantiarum observationibus vide infra c. IV.

Membrum III.

De

IMITATIONE.

§. I.

Imitatio, lectionis filia, alia est *puerilis*, alia *mascula*: *Puerilis*, qua rudiores e Latinis auctoribus centones consuunt, vel in exprimendis illis nihil aliud, nisi nudas phrasès, sectantur, magna ex parte supervacua est: *Solida ac mascula* præter locutionum flosculos, verborumque structuram, stilum certi cuiusdam auctoris indoli ac characteri ita innutrit, ut eius etiam numeris aures imbuat.

§. II. *Imitationis mascula* fundamentum est *lectio* auctoris *accurata*, eaque aliquoties iteranda. Hac enim, præter vocum phrasiumque proprietatem ac elegantiam, particularum quoque ornatum, totius sermonis compagem, connectendi rationem, ac singulorum pondera, accurate examinamus, immo

mo ipsam stili alicuius quasi animam & indolem induimus.

§. III. Is autem auctor e probatissimis est eligendus, atque imitandus, qui ingenio nostro præ ceteris convenit, & ad cuius similitudinem arcano quodam instinctu trahimur. Hic tamen ita ad imitationem proponendus est, ut, quod illi sive in phrasium copia, sive in certis stili virtutibus, deesse videtur, cum iudicio & libertate aliunde suppleatur. Hac ratione unum sic imitamur, ut simul exprimamus illud, quod apud alios videtur esse præstantissimum.

§. IV. Neque obstat, hoc pacto alicuius auctoris imaginem non perfecte & ad vivum expressum iri. Hoc enim quis ita assequetur, ut nihil discriminis remaneat? Immo fac, vel mille stili cultores non nisi unicum auctorem imitari; singuli tamen suos idiotismos servabunt, nec magis in sermonis charactere inter se convenient, quam faciei lineamenti diversi unius parentis filii. Certe, uti per quoddam naturæ miraculum innumeri sunt homines, quibus singulis ingenua quidem ac honesta, at dissimilis tamen, est facies; sic non minor, nec ea ineligans, datur stili diversitas.

§. V. Ea ergo demum vera est imitatio, qua genuinas Romani sermonis proprietates ac formulas, memoriæ ac iudicii beneficio,

ita nostras facimus, ut ipsam Latinæ lingvæ indolem intime imbibamus, & secundum Latinitatis naturam atque analogiam libero fluenteque calamo, non modo Latina, sed etiam Latine, scribere possimus. Hac ratione sufficit, Latine seu incorrupte scripsisse; etsi per memoriam minus tenacem sæpe non statim constet, quo auctore ita scribatur. Hoc enim Latinæ lingvæ tirōnum, illud virorum est, quos abesse oportet ab anxia imitationis servitute.

§. VI. Qui liberam hanc amant imitationem, data opera abstinere ab iis, quæ in probatissimis etiam auctoribus insolentia, rariora, & ipsis propria,prehenduntur. Quilibet enim auctor in integro aliquo libro, non secus ac homo in sano ac bene constituto corpore, suos habere solet nævos, in quibus a quolibet in scripto aliquo breviori temere multisque vicibus imitandus non est. Quod qui non observant, pro capratis stili in auctore aliquo virtutibus, sæpe eiusdem maculas imitantur.

§. VII. Cavendum autem præterea est sedulo, ne, quando scriptoris, a religionis Christianæ principiis alieni, stilum in fucum quasi & sanguinem convertere studeamus, impurum simul paganismi spiritum imbibamus. Qui quantopere non iuventutem tantum scholasticam, sed universum fere eru-

eruditum orbem infecerit, infectumque ac inquinatum fascinaverit, multo, proh dolor! manifestius est, quam ut demonstratione egeat. *Sane multi, ubi Ciceroniani facti sunt, desierunt esse Christiani*, utpote Ciceronis potius, aliorumque profanorum auctorum, quam Christi, præceptis innutriti.

§. VIII. Denique duo potissimum in auctore aliquo sunt imitanda: *Puritas ac Elegancia.*

Puritas, seu *Latinitas*, significat Latini sermonis integritatem, habitumque nativum, purum ac emendatum, ab omni vitio remotum. Ergo puritatis studiosus fugiet

[1] Vocabula aut *semilatina*, aut prorsus *non latina*; quod sermonis vitium *Barbarismus* dicitur:

[2] Vocabula Latina quidem, sed *contra Latine Lingue indolem* ac phraseologiam *formata*; quod vitium *Solæcismus* dicitur. Aliud itaque est, *Latina*, aliud *Latine*, scribere:

[3] Vocabula, sive phrasæ, quæ ad aliarum linguarum proprietatem, seu *idiotismum*, formantur:

[4] Vocabula prorsus *antiquata*, aut temere *novata*:

[5] *Mere Poetica*, ideoque solis poetis relingvenda.

§. IX. Ad *elegancia* imitationem infra specul-

culia-

culiaria, in allatis observationibus de elegantis, subsidia suppeditantur. Ad stili elegantiam pertinet *venustas*, quæ obtinetur

[1] Vocabulis lectissimis, phrasibusque venustioribus, apte & numeroſe collocatis; quæ collocatio æquabilem, suavem ac sonoram vocum iuncturam observat:

[2] Temperatis troporum ac schematum floridiorum luminibus:

[3] Versuum ἐπιφαινωλέων, sententiarum, adagiorum, apophthegmatum, arguteque ac festivo dictorum, condimentis; sed parce admodum, nec non tempestive ac citra ostentationem, adhibendis.

Membrum IV.

De

EXERCITATIONE.

§. I.

Exercitatio est vel *liberior*, vel *adstrictior*. Adstrictior circa nudam versatur versificationem. *Versio* autem alia est e Germanico in Latinum, alia e Latino in Germanicum, tanquam lingua minus nota in notiore. Quæ posterior priori non levem ob causam præferenda est: in primis si, quod translatum est Germani-

manice, remoto auctore Latino, ad eiusdem normam & censuram aliquoties Latine redatur, donec cum eo aut plane, aut medio-criter, conveniat.

§. H. *Exercitatio liberior*, ut docendi gratia omnia ordine dicam. iterum est vel *incipientium*, vel *proficientium*. *Incipientibus* accommodata est *variatio* alicuius sententiæ per casus, numeros, personas, tempora, figuras rhetoricas, aliosque modos, de quibus præclare agit ERASMUS in libro de rerum ac verborum copia. Variationem, pro modo virium, excipiat *carminis solutio*, illiusq; mutatis verbis in soluta oratione interpretatio. Quo in studio etiam provectiores exerceri possunt. Egregio his exemplo præiit FRISCHLINUS, qui terfa & eleganti paraphrasi *Virgilii* Bucolica, Georgica, ac priores libros *Æneidos*, itemque nonnulla *Horatii* & *Persii*, interpretatus est.

§. III. *Exercitatio proficientium*, seu scriptio liberior, requirit animum, idonea rerum atque argumentorum cognitione instructum, & perficitur variis modis:

- [1] frequenti *Latine lingue usu in loquendo*, proficientibus præcipue commendando. Qui ubi, deficiente occasione, cessat, colloquiorum conscriptione aliqua ex parte non incommode pensatur. Potest vero etiam illud, quod sine personis

sonis fuit tractatum, personarum collo-
quiis illigari:

[2] sermonem Latinum, siue noster ille sit,
siue alienus, alia orationis veste indu-
endo. Neque enim, teste Fabio, adeo
ieiunam ac pauperem natura eloquen-
tiam fecit, ut una de re bene dici, nisi
semel, non possit. Præterea quod con-
tractius alius auctor dixit, nos dilatare;
quod effusius, substringere; quod sim-
plicius, exornare possumus, perpetuo
circa eosdem sensus certamine ac æmu-
latione; velut eadem cæra aliæ atque
aliæ formæ duci solent:

[3] extemporali eorum, quæ vidimus, vel
audiuimus, aut legimus, recensione ac
descriptione:

[4] epistolarum, chriarum ac varii gene-
ris orationum & progymnasmatum, e-
laboratione. Progrediendum autem est
hic a facilioribus ad difficiliora, & ma-
teriæ sunt eligendæ cum faciles, quibus
animi ingenique vires pares esse scimus,
secundum illud Horatii:

*Sumite materiam, vestris, qui scribitis equam
viribus &c. tum fertiles, quæ scribendi copia
ingenium rapiant & excitent, anxio me-
ditandi tædio seiuncto.*

§. IV. Epistolarum scriptio præ exercitiis
ceteris quam maxime solet stilum polire ac
perfi-

perficere. Quare ea ut prompta fiat atque elegans, non tam diu differenda est, dum illam doctorum virorum usus exigit; sed iam tum ætate scholastica commodè instituitur, eaque vel *solitaria*, in argumentis sive veris, sive fictis; vel *socia*, cum uno alterove commilitone; & hoc quidem pacto, ut litteræ singulis diebus, aut ad minimum singulis hebdomadibus, bis vel ter ultro citroque scribantur, scriptæ vero utrinque emendantur, ac emendatæ cum novis remittantur. Quæ res non tantum diligentiam mirum in modum acuit, sed etiam subinde novam scribendi materiam suppeditat. Et hæc deesse non potest, si per effusionem quandam de rebus variis ad varias personas scribatur.

§. V. Scribendi argumentum quo minus desit, ipse sacer codex in subsidium vocetur. Super cuius dictis & factis quicquid observatu dignum legimus, audivimus, aut meditati sumus, cum altero per modum epistolæ possumus communicare; qui inde non potest non novam scribendi aut respondendi occasionem arripere. Quod exercitium si moderante præceptore, aut viro aliquo docto, quem in rebus dubiis consulere liceat, continuetur, sua se utilitate eo luculentius commendabit.

§. VI. Ceterum ut in iuventute, pro sanguinis calorisque abundantia, omnia florent atque